

multitudini produnt. De re publica nisi per concilium loqui non conceditur.

¹well. ²have a rule laid down by law. ³= et ne. ⁴because; join with cognitum est. ⁵seem good.

XLI.

The Germans (Caes., Bell. Gall., VI., 21).

Germani multum ab hac consuetudine differunt. Nam neque druides habent, qui rebus divinis praesint, neque sacrificiis student.¹ Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt et quorum aperte opibus iuvantur, Solem et Vulcanum et Lunam; reliquos ne famā quidem acceperunt. Vita omnis in venationibus atque in studiis militaris consistit²; ab parvulis labori ac duritiae student. Quā diutissime impuberes³ permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali vires nervosque confirmari putant. In fluminibus perluuntur (*bathe*) et pellibus aut parvis renonum⁴ tegimentis utuntur, magna corporis parte nuda.

¹perform. ²is spent. ³unmarried. ⁴reindeer.

XLII.

Land tenure among the Germans (Caes., Bell. Gall., VI., 22).

Agriculturae non student (*practise*) maiorque pars eorum victus in lacte, caseo, carne consistit. Neque quisquam agri modum certum¹ aut fines habet proprios, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque² hominum, qui tum unā coierunt, quantum et quo loco visum est agri, attribuunt atque anno post alio³ transire cogunt. Eius rei multas afferunt causas: ne assidua consuetudine capti⁴ studium belli gerendi agriculturā commutent⁵; ne latos fines parare studeant potentioresque humiliores possessionibus expellant; ne accuratius⁶ ad frigora atque aestus vitandos aedificent; ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur; ut animi aequitate plebem contineant, cum suas quisque opes cum potentissimis aequari videat.

¹fixed. ²clans and families. ³to another spot. ⁴charmed by unbroken custom. ⁵exchange for agriculture. ⁶too carefully.

XLIII.

Warlike habits of the Germans (Caes., Bell. Gall., VI., 23).

Civitatibus maxima laus est quam latissime circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium¹ virtutis existimant,